



SALA STAMPA DELLA SANTA SEDE **BOLLETTINO**

HOLY SEE PRESS OFFICE BUREAU DE PRESSE DU SAINT-SIÈGE PRESSEAMT DES HEILIGEN STUHLS
OFICINA DE PRENSA DE LA SANTA SEDE SALA DE IMPRENSA DA SANTA SÉ
BIURO PRASOWE STOLICY APOSTOLSKIEJ دار الصحافة التابعة للكرسي الرسولي

N. 0095

Sabato 08.02.2014

LETTERA DEL SANTO PADRE ALL'INVIATO SPECIALE IN PANAMÁ PER LA CHIUSURA DELL'ANNO GIUBILARE NEL V CENTENARIO DELL'EREZIONE DELLA PRIMA DIOCESI (SANTA MARÍA LA ANTIGUA) SULLA TERRA FERMA DEL CONTINENTE AMERICANO (14-15 FEBBRAIO 2014)

LETTERA DEL SANTO PADRE ALL'INVIATO SPECIALE IN PANAMÁ PER LA CHIUSURA DELL'ANNO GIUBILARE NEL V CENTENARIO DELL'EREZIONE DELLA PRIMA DIOCESI (*SANTA MARÍA LA ANTIGUA*) SULLA TERRA FERMA DEL CONTINENTE AMERICANO (14-15 FEBBRAIO 2014)

In data 18 gennaio 2014, è stata pubblicata la nomina dell'Em.mo Card. Antonio Cañizares Llovera, Prefetto della Congregazione per il Culto Divino e la Disciplina dei Sacramenti, a Inviato Speciale del Santo Padre in Panamá per le celebrazioni conclusive dell'anno giubilare indetto nel V centenario dell'erezione della prima Diocesi (*Santa María la Antigua*) sulla terra ferma del Continente americano, che avranno luogo nei giorni 14-15 febbraio 2014.

Pubblichiamo di seguito la Lettera del Papa all'Em.mo Card. Antonio Cañizares Llovera:

• LETTERA DEL SANTO PADRE

Venerabili Fratri Nostro
ANTONIO S.R.E. Cardinali CAÑIZARES LLOVERA
Congregationis de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum Praefecto

Quingentesimus recolitur annus ex quo tempore prima dioecesis in Americana terra, praeter insulas, provido Decessoris Nostri Leonis PP. X de consilio est condita. Ad illa profecto loca Evangelii nuntius quondam allatus est Dominique salutaria beneficia gentibus illis ministrari coepta sunt, actuosus operantibus missionariis, qui, in spiritali homines studio incensi, Salvatoris iis praebuerunt saluberrima verba. Sic feliciter prima exstitit episcopalis Sedes S. Mariae Antiquarensis, floridioris aevi illius Continentis veluti signum.

Admodum ideo aequum est et convenit ut eventus hic congruenter commemoretur et optimo iure extollatur. Celebratio enim haec copiam dat et facultatem non huius rei dumtaxat memoriam repetendi, verum in latissimis his regionibus ferventioris religionis sensum concitandi.

Divina igitur suffragante gratia, mensis Februarii diebus XIV-XV, finis imponetur quintae saeculari recordationi

illius primae conditae dioecesis, frequenti adstantium ecclesiasticorum laicorumque corona.

Quocirca cum Venerabilis Frater Iosephus Dominicus Ulloa Mendieta, O.S.A., Archiepiscopus Metropolita Panamensis, itemque Conferentiae Episcoporum Panamensium Praeses, rogavisset ut Purpuratum Patrem mitteremus, huic postulationi obsecundandum iudicavimus, quo ritus ille elatius et luculentius perageretur. Ad te ideo, Venerabilis Frater Noster, cogitationem convertimus, qui idoneus occurris ut eventui illi intersis personamque inibi Nostram geras. Itaque permagna moti affectione, te

Missum Extraordinarium Nostrum renuntiamus et constituimus ad celebrationem quam supra diximus agendam.

Universis igitur participibus fidelibusque inibi cunctis voluntatem Nostram benignam ostendes, ac pariter cohortationem ad pristinam illam pietatem repetendam tenendamque, cunctis suam operam navantibus. Omnibus Nostro nomine auctoritateque Benedictionem Apostolicam impertias volumus, quae sit animorum renovationis signum et futuro de tempore supernarum gratiarum documentum, ab omnibus pro Nostro Petrino munere frugifere absolvendo simul preces petentes.

Ex Aedibus Vaticanis, die XVI mensis Ianuarii, anno MMXIV, Pontificatus Nostri primo.

FRANCISCUS

[00196-07.01] [Testo originale: Latino]
